



Patriarchatus Latinus- Ierusalem
البطريركية اللاتينية الورشلمنية
المكتب الليتورجي
Officium Liturgicum

Die 23 Junii

Ss. Zenonis, Zenæ et omnium Ss. Martyrum Transjordaniæ

(Mem. facultativa, sed *in Transjordania*: Mem. obligatoria)

Ant. ad introitum

Gáudent in cælis ánimæ Sánctórum, qui Christi vestígia
sunt secuti; et quia pro eius amóre sanguinem suum
fudérunt, ideo cum Christo exsúltant sine fine.

Collecta

Præsta, Dómine, præcibus nostris cum exsultatiōne provéntum,
ut sanctórum Zenónis et Zenæ, aliorūmque mártirum
quorum passiónem ánnua devotione recólimus,
étiam fídei constántiam subsequámur.
Per Dóminum.

LECTIO PRIOR

« *Hi sunt qui venerunt de tribulatiōne magna* »

Lectio libri Apocalypsis beati Ioánnis Apóstoli 7, 9-17

Ego Ioánnes vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus et tríbubus et pópolis et línguis stantes ante thronum et in conspéctu Agni, amícti stolas albas, et palmæ in mánibus eórum; et clamant voce magna dicéntes: « Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et Agno ». Et omnes ángeli stabant in circúitu throni et Seniórum et quát-tuor Animálium, et cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas et adoravérunt Deum dicéntes: « Amen. Benedíctio et glória et sapiéntia et gratiárum áctio et honor et virtus et for-titúdo Deo nostro in saécula sæculórum : amen ».

Et respóndit unus de Senióribus dicens mihi: « Hi qui amícti sunt stolis albis, qui sunt et unde venérunt? ». Et dixi illi: « Dómine, mi, tu scis ».

Et dixit mihi: « Hi sunt qui vénient de tribulatiōne magna, et lavérunt stolas suas et dealbavérunt eas in ságuine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei et sérviant ei die ac nocte in templo eius et qui sedet in throno habitabit super illos. Non esúrient amplius, neque sítient amplius, neque cadet super illos sol neque ullus aëstus, quóniam Agnus qui in médio throni est pascet illos et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum et ab-stérget Deus omnem lácrimam ex oculis eórum ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 125, I-2ab. 2cd-3. 4-5. 6 (R. : 5)

R/. Qui séminant in lácrimis, in exsultatióne metent.

1 In converténdo Dóminus captivitátem Sion,
facti sumus quasi somniántes.

Tunc replétum est gáudio os nostrum,
et língua nostra exsultatióne. R/.

2 Tunc dicébant inter gentes :
« Magnificávit Dóminus fácer cum eis ».

Magnificávit Dóminus fácer nobíscum;
facti sumus lætantes. R/.

3 Convérite, Dómine, captivitátem nostram,
sicut torréntes in austro.

Qui séminant in lácrimis,
in exsultatióne metent. R/.

6 Eúntes ibant et flebant,
semen spargéndum portántes;
veniéntes autem vénient in exsultatióne,
portántes manípulos suos. R/.

ALLELUIA

Mt 5, 10

R/. Allelúa V/. Beáti qui persecutióne patiúntur propter iustí-
tiam, quóniam ipsórum est regnum cælórum.

R/. Allelúa.

EVANGELIUM

« Nolíte timere eos qui occidunt corpus »

† Léctio sancti Evangélii secúndum Mattaéum

10, 28-33

In illo témpore :

Dixit Iesus Apóstolis suis : « Nolíte timére eos qui occí-
dunt corpus ánimam autem non possunt occídere ; sed pótius
timéte eum qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénná.

Nonne duo pásseres asse vénent? Et unus ex illis non
cadet super terram sine Patre vestro: Vestri autem capilli cá-
pitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére : Multis passé-
ribus meliòres estis vos.

Omnis ergo qui confitébitur me coram homínibus, confi-
tébor et ego eum coram Patre meo qui est in cælis; qui autem
negáverit me coram homínibus, negábo et ego eum coram
Patre meo qui est in cælis. »

Verbum Dómini.

Super oblata

Súscipe, sancte Pater, múnera
quæ in sanctórum mártirum commemoratióne deférimus,
et nobis fámulis tuis concéde,
ut in confessióne tui nóminalis inveníri stábiles mereámur.
Per Christum.

Ant. ad communionem

Io 15, 13

Maiórem dilectionem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis
pro amicis suis, dicit Dóminus.

Post communionem

Deus, qui crucis mystérium
in sanctis martyribus tuis mirabiliter illustrásti,
concéde propítius : ut ex hoc sacrificio roboráti,
Christo fidéliter hæreámus,
et in Ecclésia ad salútem ómnium operémur.
Per Christum.